

~~588 (141)~~
~~J 15~~
45
ALOYSII ANTONII

V E R N E I I

*Equitis Torquati Archidiaconi
Eborensis*

I N F U N E R E

JOANNIS V.

LUSITANORUM REGIS FIDELISSIMI

O R A T I O

A D C A R D I N A L E S.

Conf.

T. 13. 6

ALWAYS AT THE

W. R. H. I. T.

W. R. H. I. T.

W. R. H. I. T.

W. R. H. I. T.

JOHN W. H. I. T.

W. R. H. I. T.

W. R. H. I. T.

W. R. H. I. T.

(III)

JOSEPHO I.

LUSITANORUM REGI

PIO AUGUSTO FIDELISSIMO

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS

PERPETUAM FELICITATEM.

QUOD in hac urbe paucis ante annis precatum sum a Deo immortali, JOSEPHO I. rex inclite, cum recuperatam sanitatem parenti tuo, tum meo, tum Lusitanorum nomine, qui in Urbe commorabantur, gratularer,

A 2

larer ; ut illi bene ac sapienter omnia evenirent , & nobis tantum Regem perpetuo sine ullo damno servaret ; id tibi etiam precor hoc tempore : Deumque rogo , ut tibi felix imperium concedat : teque tam diu nobis incolumem conservet , quam virtus tua excellentissima postulat , & Lusitani homines præter cetera bona ardentè desideramus . Ac sane cum confidero , te non solum sanctissimis præceptionibus a prima ætate institutum , sed etiam ad virtutem omnem factum videri ; mihi persuadeo , & tibi , & nobis prospere omnia & ex sententia eventura : ut non modo paterna vestigia premere , verum etiam illis tuam laudem sane eximiam addere te velle , ex iis , quæ ante adeptum regnum gessisti , merito suspicemur . Quod si facies , quantam nos tibi gratiam habebimus , quibusque verbis agemus , cum viderimus , te non modo parentis virtutem adæquare , verum etiam superare ! Quantus tu inde proflues ad sermonem hominum ! quantus ad veram laudem , & gloriam nominis ! Fateor eo honore te esse præditum , quo nullus major est in orbe terræ : ut qui talibus insignibus ornatus sit , & felicia omnia , & ipsam nominis immortalitatem a se ipso , ut plerique putant , sperare posse videatur . Sed si doctissimi.

Etissimorum hominum , tum etiam Imperatorum , ac Regum inlustrium vitæ disciplinam existimaveris , plane cognosces , non id putasse eos , veram laudem cum imperio adeo esse conjunctam , ut hoc sit laude esse dignum , regnare . Quinimmo censuerunt , non hoc laudi homini dandum , quod maxima imperia obtineret ; sed quod dignus imperio & esset , & haberetur . Profecto nulla causa fuit , cur Reges nimis multi , iique potentissimi , tantis laboribus ac periculis pro laude nominis consequenda laborarent , si id sorte quadam haberi , non præclaris factis comparari debere judicassent . Obversabatur sane illis ante oculos aliquid præclarum , quod longe a se esse positum , nec nisi plurimo labore , egregiisque factis consequi posse existimabant : atque in ipso honorum , & divitiarum fastigio collocati , fateri cogebantur , multis rebus adhuc indigere se , & in hoc pares esse populis sibi subjectis , quod non nisi clarorum facinorum beneficio ad laudem aliquam nominis pervenire , & memoriam sui præclaram relinquere possent . Quæ ego plurimis exemplis ex historia desumptis efficere possem , si iis , qui politioris litteraturæ sensu destituti sunt , ea , quæ dico , probare deberem : cum vero ad te loquar ingenuis studiis

diis expolitum, qui nihil prius habes, quam tot clarissimorum Regum, majorum tuorum vestigia insistere; ab his recensendis abstinebo; ac tibi non alium, sed te ipsum imitandum proponam. Unum excipio Joannem V. parentem tuum, cujus singularem virtutem semper admiratus sum. Quem ego Regem si tibi propono imitandum, videor id mihi & omnium consensu, & te favente ac exoptante facere. Hujus ego laudes hac oratione persecutus sum. Neque vero omnia percensui figillatim, nam esset infinitum; sed primoribus labris præclariora degustavi. Laudavi Regem & privato officio motus, & etiam publico. Cum enim in eorum numero sim, qui collegio nationis nostræ in Urbe præsent; cumque eorum nullus exstet, qui parenti tuo tantis nominibus adstrictus sit; videbar id quasi meo jure vindicare, ut non alteri, quam mihi, postremum officium committeretur. His accessit judicium tuum sane gravissimum, quo me Oratorem esse voluisti, qui parentis tui laudes in Urbe publice prædicarem, exterorumque laudibus mea oratione præirem. Quod tametsi nescio qua de causa factum non fuit, tamen res ipsa admonere, & vero etiam hortari videbatur, ut quod tuo jussu conscriptum fuerat, id grati animi causa in lucem
emit.

emitteretur. Est sane cur requiras in hac oratione sermonem emendatum, & elegantem, orationis vim atque copiam, ceteraque virtutes perfecti Oratoris, & digni qui Joannem V. laudaret. Sed mirari defines, si tecum reputaveris, in hac lucubratione scribenda, officii magis, quam gloriæ; doloris, quam eruditionis, partes a me esse susceptas. Neque solum mediocritas ingenii mei, sed etiam exquisitus dolor tanti viri morte conceptus me inopem & rerum, & verborum fecit, & parum idoneum qui parentem tuum summum virum laudarem. Quamquam non stili causa, sed argumenti digna videatur oratio, quæ non modo a Lusitanis, verum etiam ab omnibus bonis, qui virtutem amant, cum admiratione lectitur. Ego vero orationem tibi sacro, & quasi ad aram appendo: & confido fore, ut talibus auspiciis memoria tanti Regis, atque grati animi erga illum mei duret perpetuo.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly obscured by a large, irregular water stain on the right side of the page.



ORATIO.

UTinam mihi, Cardinales amplissimi, tanta esset hoc tempore, tamque admirabilis eloquentia, tantum viriumque suppeteret, ut verba facturus de JOANNIS V. Lusitanorum regis laudibus, tanto argumento pro dignitate satisfacerem. Sed multa me in ipso orationis limine conturbant, & propemodum a dicendo deterrent. Primum movet me ipsa argumenti copia, & præstantia: cujus partes omnes percensere numerando, difficile esset: dicendo complecti, multo difficilius. Conturbat me etiam illud, quod tamen vel maxime dicentem recreare deberet, & in quo Oratorum studia niti solent, majestas vestra, Cardinales, divinæ similior, quam humanæ: ceterorum, qui audiunt, vel hic splendor eximius, vel ista frequentia inusitata, vel summa denique planeque incredibilis expectatio. Nec vestra solum, Cardinales, amplitudo & majestas, verum etiam doctrina paratissimum quemque, & in dicendo exerci-

B

ta-

tatissimum exanimare posset: ego vero & mediocri eloquentia, aut minus etiam quam mediocri, & pæne imparatus dicere cogor: non enim satis temporis concessum mihi est ad me comparandum. Confessus iste præterea ab Oratore Lusitano, hoc est, ab homine illo, qui & publicam Regis, & interiorem disciplinam cognovit; qui non audita quidem, sed cognita exornat, novum orationis genus se auditurum esse arbitratur. Hic etiam lugubris apparatus, hæc pompa funeris, mœror hic in omnium vultu depictus, tantam mihi perturbationem incutiunt, adeo me dolore conficiunt; ut cum oculis singula percurro, non alios oratione mea consolari posse, sed ipse mihi ab aliis videar consolandus: & quæ alias me vel cum res difficillimas explicarem non deseruit oratio, hæc a me omnis in præsentia recedat: ut, quid dicam, nesciam: quid primum memorem, quid ultimum, ignorem. Quæ singula quoniam homines a dicendo deducunt, atque orationis vim, animosque dicentis debilitant; vestrum est, Cardinales, qui usque a pueris in amplissimis locis, & in hac arce sanctissimæ religionis, de rebus maximi momenti & sæpe, & summo cum plausu verba fecistis, cogitatione reputare, quam me frangant cum collectim objiciuntur, quantum mihi animi relinquunt: quo facilius iudicium vestrum timorem meum depellat, & minuat pudorem.

Atque ego, Cardinales, si ad homines dicerem, qui JOANNIS V. laudes cognitæ non haberent; quamquam quæ gens tam fera, quis locus tam inaccessus, tamque remotus a consuetudine hominum reperiri potest, quem præstantissimæ illius virtutis fama non pervaserit: veruntamen si ad eos dicerem, qui hæc ignorant, uterer hoc exordio, ut sancte testarer, me in hac laudatione non plus tribuere officio, quam veritati. Cum vero ad vos loquar, Cardinales, qui plures
tan-

tantæ, tamque singularis virtutis vestrismet oculis significaciones hausistis, nude commemorabo, in hac de tanto viro dicendi occasione, non tam in amplificando artem, quam in narrando modum esse adhibendum. Et quoniam brevi temporis spatio oratio mea debet concludi, & tot tamque præclara dicenda se offerunt, quibus percensendis vix magna volumina fatis essent; non omnia fuscè ac singulatim persequar, sed ad certa capita reducens, quæ magis inlustria videbuntur exponam: non nulla præteriens commemorabo: cetera vel conjicienda relinquam, vel æstimanda.

Ego autem sic statuo, Cardinales, in Christiano homine, qui aliis imperat jure Regio, quatuor hæc laudari debere: summam pietatem in Deum, prudentiam Politicæ artis, subjectarum sibi gentium amorem, & felicitatem. Quæ singula si ostendero in JOANNE V. summa exstitisse, ita profecto constituetis, magnum virum ac Regem non Lusitanæ modo, sed etiam reipublicæ Christianæ ereptum fuisse.

Et ut a Religione exordiar, ex qua præcipua in Christiano principe laus ducitur, quis illo pietate erga Deum inlustrior exstitit, qui in ipso incuntis adolescentiæ flore, & in ea ætate, quæ nihil non puerile, nihil rationis & consilii plenum ostendere, habere solet, ita se gessit, ut cum Regibus illis, & Imperatoribus, quorum est olim erga Deum, & superos nobilitata religio, jam tum certare videretur. Qui nullum diem abire passus est, quin rei Divinæ interfesset: cui dum adesset, preces omnes, quas sacerdos fundebat, ipse voce demissa, & adtente legebat, mysteriorum perpetua meditatione defixus. Qui secum adhibito sacerdote, officium, ut vocant, quod homines sacris initiati obire solent, alternis vocibus peragebat. Qui templa frequentissime visitabat, ubi summa cum animi

demissione in genua procumbens, rerumque cælestium contemplationi vehementer intentus, Deo auctori omnium bonorum gratias pro tantis beneficiis agebat, ipsius opem implorabat, aliosque, ut id facerent, exemplo incitabat. Hæc ab homine quidem Christiano factitari, laudabile est: ab adolescente, mirabile: at a Rege adolescente, quique ob honores, ob amplitudinem, ob potentiam, ob nimias illas laudationes, quibus Principum aures fere perpetue verberantur, se legibus solutum putat, tam est admiratione dignum, ut qui id faciat, ille Dei beneficio singulari concessus hominum generi, & cuiuspiam regno esse donatus videatur.

Quid vero memorem tantam, tamque pretiosam supellectilem ab eo templis ac sacerdotibus adtributam? quid maxima dona, vereque regia, quibus hominum ædes Religiosorum, & eos ipsos ornavit? quid innumera templa, quæ vel exstruxit a fundamentis, vel squalentia restituit magnificentius? quid reliqua censeam, quibus Dei, ac Sanctorum cultum in regno suo amplificavit? Unum illud facellum, statuæ argenteæ, vasa, candelabra, sacræ vestes, ceteraque supellex, quam Romæ parari haud ita pridem, conficique vidistis, pietatem hominis ac religionem, liberalitatem ac munificentiam; &, quæ laus illi præcipua est, fidelitatem in superiores, & ecclesiam Catholicam luculenter ostendunt.

Ecclesiasticum vero ordinem quantis ille honoribus profecutus est? Ille Pontificem Maximum rogavit, ut facellum suum ad ordinem Patriarchalem eveheret, ea lege, ut, qui Patriarcha esset designatus, inter Cardinales cooptaretur. Ille plurimos ministros ex nobilissimis familiis adhibuit, & in plures ordines redegit: ex his quatuor atque viginti summates regni esse voluit, idque lege sancivit. Dies me atque oratio deficiat, si omnia velim numerare dicendo, quæ in eo templo

(XIII)

plo Patriarchali prudentissime cogitata, provisa, constituta sunt. Illi ipsi Episcopi, quorum est amplitudo ac dignitas tanta, ut addi posse nihil videatur, ab eo sunt amplissimis titulis atque gravissimis decorati: decrevit enim in summatibus regni eum esse censendum, qui Episcopus esset designatus.

Jam vero Religionis propagandæ studium quibus ego verbis digne prædicabõ! Ille in Africam, Americam, Asiam, ubi regna non pauca Lusitani imperii finibus continentur, multa cum eo societatis ac fœderis legibus conjuncta sunt, Evangelii præcones quotannis dimisit: exteris aditum aperuit: viaticum omnibus liberalissime dedit. Atque ut fides Catholica in regionibus illis & lætius floreret, & accuratius conservaretur, Episcopatus complures, & sacerdotia ut Sanctæ sedis auctoritate designarentur, impetravit: quibus annuos census etiam constituit, ab regio ærario repræsentandos. Quid? Romæ quantam vim auri restituendis non nullis templis adtribuit! quot donaria aliis impertivit! quanto ære alieno collegium nostrum liberavit! Quid? Caffia? Quid? Hierosolymarium templum nonne pietatem, ac munificentiam Joannis iis testantur monumentis, quæ nulla temporis longinquitas minuat, aut inobscurat oblivio?

Magna quidem, Cardinales, & illustria indicia proferre me arbitror, ex quibus hominis religionem judicare possimus. Unum vero addam, quo tantum ipse majores suos superavit, ut pius præter ceteros nuncupetur, reverentiam dico erga Apostolicam sedem, qua nihil Joanni fuit antiquius. Nam tametsi tanta existant Lusitanorum regum in Romanam ecclesiam merita, quanta clarissimi ac piissimi quique Reges habere possunt; tamen qui observantiam in amorem mutaret, nec vos ut summi Dei ministros vereretur modo, sed
ama-

amaret, fuisse Joannem præ me fero. Vos fidem facite, Cardinales, quanto ille honore, quam eximia amoris significatione vos, vestrosque collegas, quicumque issent ad se legati, sit profecutus. Quot leges tulerit, ut in cunctis imperii Lusitani provinciis Pontificiæ sanctiones executioni mandarentur. Quam reverenter Romano pontifici supplicaverit, ut sibi Episcopos designandi facultatem daret: tametsi id Pontificiis legibus, more majorum, ad se spectare cognosceret. Quam suppliciter cetera, quæ ad incrementum sacri cultus, ad ornatum templorum, & ad splendorem ordinis sacerdotalis pertinentia sibi dari cupiebat, peteret a vobis. Cum ille multa pro suis in istam sedem Apostolicam meritis convenire sibi intelligeret, nihil jure speravit a Pontifice Max. sed gratis omnia se posse impetrare. speravit? immo vero nihil umquam, Pontifice non libentissime concedente, se velle professus est. Jactent alii Reges se ab Apostolica sede amplissimis nominibus decoratos fuisse: fuerunt hæc sane justissima præmia meritorum. Hoc dico, Regem qui se ecclesiæ Romanæ re ipsa & factis amantissimum filium in omni vita præstiterit, præter ceteros fuisse Joannem.

Age videamus quanta Politicæ artis, & administrandæ reipublicæ prudentia excelluerit. Quis enim illo scientior umquam fuit artis regnandi, aut esse potuit, qui e ludo ad imperium vocatus, idem habuit initium cum hominibus vivendi, & aliis imperandi. qui regnum puer inivit intestinis dissidiis perturbatum, quod mira industria pacavit. qui ea gessit adolescens in commodum populorum, quæ præstantissimi quique Reges exacta ætate maximæ laudi ducerent perfecisse! Quis enim per illa tempora iter fecit, qui non a viarum obsessores spoliatus dimitteretur? Quem nostrum latet mortales plurimos, qui e provinciis Ulyssiponem

negotii causa venirent, priusquam via se darent, coactos facere testamentum latronum metu? Quantæ cædes Ulyssipone patrabantur, invitante ad id brevissimo gladii genere, quod per leges deferebatur? Quot viri potentiores inferioris ordinis homines in provinciis vexabant, quod insanis eorum cupiditatibus hi recusarent obtemperare? Quam multa timebant a nationibus exteris Lusitani, quæ turbare quietem, & domesticum otium solita erant? Quis vero hisce malis occurrit nisi Joannes? qui multis in ipso regni exordio rebus prudentissime gestis ostendit, nihil posse in politica disciplina desiderari, quod non cognitum ipsi ac penitus fuerit exploratum.

Nam quid ego memorem commercium non modo in regno Lusitaniæ restitutum, sed in emporiis quibusque florentissimis Africanis, Asiaticis, Americanis confirmatum? quid fidem publicam quasi postliminio revocatam? quid mare a Mauritanis piratis liberum, qui Lusitanis mercatoribus, & navicularibus ingentem cladem inferebant? quid cetera dicam, quæ in ipso principio spem certam fecerint Lusitanis felicitatis illius, quam tanto sub Rege essent consecuturi? Tanta enim malorum prævidentia, tanta cura & solertia depellendi, tam exquisitæ regnandi artes aperte indicabant, quam multis virtutibus, quæ ad illud fastigium cum laude obtinendum sunt necessariæ, ab Rege Regum esset ornatus.

Jam illud quis negligat, quanto consilio & æquitate magistratus deferret? Non ille umquam aut majorum nominibus, aut veteri merito fumosarum imaginum, præmia distribuit; non homines summo loco natos, sed virtutis expertes, ad magistratus vocavit; sed probos, & claræ virtutis cooptavit. Existimabat enim, idque ipse domesticis declarare solebat, summum in homine

mine dignitatis propria virtute ornatum esse: multumque adferre reipublicæ utilitatis, & gloriæ talium virorum copiam numerare.

Et quoniam regni peritia non modo in præmiis distribuendis, verum etiam ingeniis acuendis, excitandisque versatur, in hac etiam parte tot ille fecit, ut mirarentur homines, tot simul rebus non modo exequendis, sed ne cogitandis quidem Regem unum sufficere potuisse. Cui enim ignotum est, aut esse potest, quam maximus fautor & patronus fuerit litteratorum, quantoque opere litterarum gloriam, vereque auream ætatem in Lusitania excitavit? Ille doctrina præstantissimos homines, propositis præmiis, in regnum suum invitavit. Ille suum splendorem, celebritatem, frequentiam Academiis restituit, quæ antiquitus fuerant institutæ: alias instituit, atque ditavit. Ille bibliothecas amplissimas Colimbræ, Mafræ, Ulyssipone omni librorum, & instrumentorum genere instructas ædificavit: alias librorum copia ornavit. Ille non paucos exterorum clarissimos & alibi, & Romæ, ut optima studia amplificarent, donis amplissimis cumulavit. Quid? quod majorum nostrorum clarissimorum hominum gloriæ ac honori consulens, collegium fecit Ulyssipone virorum doctissimorum, qui historiam & Sacram, & Profanam diligentissime scriberent, & domestica lingua, atque Latina in vulgus emitterent. Qua una re palam fecit, ante ista tempora non materiam, sed stilum historiæ nostræ defuisse. Tot enim exempla antiquæ virtutis, ac religionis e pulvere ac situ sunt ab his excitata, ut mirentur homines, tam præclara facinora tam longo tempore delitescere potuisse.

Age ceteras artes percurramus, quæ non minorem delectationem, quam utilitatem, adferunt civitatibus. Loquimini, Lusitani homines, & numerando enuntiate, quan-

quanta quamque magnifica ad ornatum regni, atque regiae a JOANNE ædificia perfecta sint. Hæc enim tam ampla, tam concinna, tam splendida exteris ipsis videbantur, ut ipsi Itali etiam mirarentur, homines nostros eam gloriam Romanis eripuisse, qui ut ceteris rebus, ita in molibus excitandis magnificentia excelluerunt. Quis enim vias publicas inmensis sumptibus instauravit? Joannes. Quis Tagi alveum, navigantibus maxime periculosum, coercoit, undarum parte novum in alveum derivata? Joannes. Quis copiam annonæ, remotis omnibus terra, marique impedimentis, multitudini innumeræ urbis regiae suppeditavit? Joannes. Joannes, inquam, optimis aquis & saluberrimis e longinquo perductis, idque marmoreo receptaculo amplissimo eam ipsam sitientem inundavit. Is est, qui portum munivit, littoraque extrahendis, inportandisque mercibus reddidit opportuna. Ille navalia ædificavit, armamentaria perfecit, armamentis, & ministris instruxit. Ille urbes plurimas communivit, murosque temporum vetustate collapsos elegantius restituit. Ille denique artes populares, ornamenta & subsidia civitatis, artibusque exercendis officinas quamplurimas in Lusitania constabilivit: quæ omnia nostri majores magno cum sumptu, & labore incredibili comparabant; nos in præsentia nullo negotio, & impendio tenemus.

Magna profecto ista sunt, sed illa, mea quidem sententia, majora, quod ærario divitias, pacem imperio Lusitano curarit, populo numquam importunis tributis fatigato. Cum enim his proximis temporibus bello gravi, & diuturno Europa omnis arderet; malis illis communibus Lusitania erat immunis, populosque se invicem dilaniantes nullo suo periculo intuebatur. Fuit hæc, Cardinales, JOANNIS V. propria laus, quam pauci admodum Reges, verbo absit invidia, adepti sunt.

C

Cum

Cum vero illi occasiones non nullæ essent oblata arma sumendi, sapientissime omnes declinavit. Eant nunc illi, quos prudentes Politicos vulgus appellat; a quibus homines, qui atatem in præliis consumserunt, esse beati prædicantur. Discant a rege JOANNE V. artem sapienter & Christiane rempublicam administrandi. Numquam homini Christiano arma sumere, nisi graviter lacessito, licet. Arma Regibus data sunt, non ut aliorum res appetant, & fictis offensionibus aggrediantur; sed ut ea conservent, quæ sua sunt, suosque populos ab injuriis tueantur. Conjiciamus oculos, Cardinales, in illam Judæorum rempublicam quo tempore a Deo procurabatur: consideremus, postea quam quietas sedes habuerit, quam modeste & prudenter cum vicinis populis egerit: quam sancte fidem datam gentibus fœderatis servaverit: quam lente, nec nisi hostiliter laceffita, contra eos arma tractarit: hoc amplius, quot vices clade fœdissima adfecta fuerit, propterea quia contra Dei voluntatem, vel eo inconsulto, bella committere ausa fuisset. Hanc normam Regibus ipse Deus inposuit, ut sua imperia recte administrarent. Qui secus faciunt, quantalibet dignitate præditi sint, plectendi sunt acerbissime ab eo Rege, apud quem nulla, ut Petrus denuntiat, acceptio est personarum.

Possum ego memorare, Cardinales, Reges plurimos bellica laude florentes, qui dum animam agerent, & in illa hora, in qua tremendi & adventantis judicii recordatio hominem ad se revocat, suasque actiones pro merito expendere cogit; nihil aliud filiis commendarunt, nisi ut a bello, quantum possent, temperarent: facturos eos rem justam, & Deo gratam; populis vero præter ceteras utilissimam. Principes nempe qui quamplurima mala hominum generi ab se inlata cognoscerent: qui tot mortalium occisiones, tot provinciarum

(XIX)

vastitates memoria repetebant; demum intellexerunt, suum esse filios suos monere, ne æstu vindictæ, aut ambitionis raperentur: & tantum damni subjectis populis adferrent, quantum ipsi videlicet imprudenter adtulerant. Quod si victoria adepta nihil, nisi pax, optandum populis est; qui bella non necessaria dissuadet, quique ad pacem conservandam nihil non molitur, is mihi vere Princeps, vere Rex & natus, & factus esse videtur.

Satis multa, Cardinales, dixisse videor, quæ, quos progressus JOANNES fecerit in arte regnandi, liquido ostendunt. Nunc ad aliam Politicæ disciplinæ partem venio, amorem dico in Lusitanos: quo tantum reliquos Reges antecellit, nullus ut populum sibi subjectum magis dilexerit, quam ille suum: nullus vicissim ab eo fuerit æque dilectus. Quis enim umquam ad illum voluit accedere, cui non daret aditum conveniendi se; quæ vellet, exponendi, petendi, obsecrandi, quærimonias de aliorum injuriis proponendi, ceteraque, quæ ad otium & quietem reipublicæ conservandam sunt necessaria, libere & nullo metu dicendi? Qui cum Ulyssipo gravissimo morbo, eoque late serpenti, oppressa esset, ac eum Medici vehementer rogarent, ut urbe regia excedere vellet, adduci se non est passus ut solum verteret: sed mansit eo consilio, ut egentium miserias suis oculis cerneret, & ingenti pecunia sublevaret.

Quid illa? quam sancte ac religiose fidem & amicitiam servavit! qui numquam fidem, quam alicui dederat, violavit: cumque aliquando ab aliis principibus, vel etiam privatis se delusum videret, numquam, quod promiserat, revocavit: quod intellexit, non sibi eos injuriam facere, qui violarent; sed illos ipsos, qui ab constantia dictorum recesserant, satis perfidia sua, & bonorum omnium execratione castigari. Quid? moderatio! quid? animi magnitudo quanta in illo, quamque excel-

lens reperiatur ! Lacesitus a pravis & inprudens, qui famosis libellis eum conciderant, omnino vetuit in auctores inquiri. Maluit oblivisci, quam castigare : quod intellexit, magni esse viri ea contemnere, quæ ex animi quadam inpotentia proficiscuntur. Atque hæc ille fecit, qui regno præerat, qui legionibus imperabat, ad cujus nutum reprehenses omnes & obrectatores ipsius articulatim concidi, & minui poterant. Intellexit profecto, eum esse Regem, non qui aliis dumtaxat, sed qui sibi potissimum imperare sciat: hoc est, iracundiam, cupiditatem, avaritiam, ac cetera vitia ratione & consilio coercere.

Multa sunt mihi prætereunda, quæ, quam magnum ejus studium in Lusitanos fuerit, patefaciunt. Tamen tacitus præterire non possum insignem illam amoris significationem, quam tunc dedit, cum gravi morbo correptus esset, cum acerba paralyfi conflictatus vix membris commode uteretur, mente etiam aliquando deficeret. Hic omnes orare Regem, & quasi suo jure postulare, ut totum se tranquillæ vitæ daret, revocaret animum a curis, salutis suæ diligenter consuleret. Sed magnanimum Regem, ut quidpiam pristinæ contentio- nis aliquando remitteret, nulla res potuit permovere : cum dictitaret, a Deo regni onus inpositum suis humeris esse: nec umquam a se, quoad spiritum duceret, deponendum. Sustinuit igitur usque ad exitum vitæ, vel ipsa cum morbi, tum vero tanti laboris patientia plane admirandus.

Supereff ut de felicitate dicamus, quæ cum in nullo hominis potestate fit, sed a Deo immortali tamquam donum excellens tribuatur; qui ea ceteros mortales excellat, is Deo carus & præter modum acceptus esse videatur. Neque enim ego, Cardinales, sum prædicaturus tantam auri, & gemmarum vim in Brasilia,
eo

eo imperante , repertam fuisse , quantam ejus majores in unum conjecti non habuerunt . Non quot ac quantis redivitibus ærarium auxerit , regniq; vires confirmarit . Non Reges barbaros , quos fecit vectigales : non populos in fidem receptos : non fines regni dilatatos : non ipsam denique cæli temperiem Regis conatibus , factisque præclaris obsecundantem . Hoc breviter dicam , Regem nullum tam multa aliquando sperasse , quanta a Deo optimo maximo JOANNI V. delata fuere . Quid ? in ipsis etiam expeditionibus bellicis , quas ille tantopere declinabat , quid ipse unquam conatus est , cui non successus responderet ? Testis est Corcyra , quæ cum ab hoste Christianorum teterrimo , Turcarum imperatore , obsideretur , ejus classe disjecta per Lusitanos , Joannis ope discrimini erepta est : inmanissimus hostis ab Italiæ cervicibus depulsus : Romani omnes metu liberati : pax Italiæ restituta . Testis & Africa , & Asia , in quibus tot oppida , & castella recuperavit , tot fortissimas gentes debellavit , alias in fidem recepit . Testis America , quam foede distractam plurimis , gravissimisque dissidiis , per imperatores suos pacavit . Testes denique maria omnia , quæ cum a prædonibus infestarentur , eorum fracta temeritate facta sunt nostris negotiatoribus pervia : nec nostris modo , sed exteris etiam , quibus nobiscum commercia sunt restituta .

Atque hunc optimum Regem , tam pium , tam prudentem , tam amantem Lusitanorum , tantaque usum felicitate ; cum majora pro Christi religione , pro ecclesia Catholica , pro salute suorum meditaretur , dira mors in medio pæne vitæ cursu rebus humanis eripuit . O exiguum humanæ vitæ curriculum ! o fluxam regnandi gloriam ! o incerta mortalium consilia , quæ iis plerumque nituntur , quæ cito amissuri sumus !

sumus ! Nihil regno contingere luctuosius , nihil poterat gravius omnibus bonis , nihil acerbius , qui eodem funere cum Rege suo efferri visi sunt . Nusquam tam veras lacrimas homines nostri fuderunt . Nusquam tales lamentationes , & ejulatus auditi sunt . Plorat etiam nunc regia omnis : in mœrore & squalore jacet invictissimum regnum : nec in Lusitania modo , verum etiam in Urbe , ubi suæ pietatis , & magnificentiæ argumenta maxime dederat , dolor & luctus in ore omnium expressus est . Vos ipsi , Cardinales , qui amplissimorum Regum virtutes merito suo æstimatis , luculentis indiciis notum facitis , quam sit vobis acerba hæc recordatio : quantamque putetis ejus morte ab Ecclesia , ab urbe Roma , a cuncto populo Christiano factam esse jacturam .

Sed quoniam gemitibus atque lamentis vitam homini reddere minime possumus ; Deique consilium & voluntatem , etiam cum nos punit , demisse venerari debemus ; temperemus a lacrimis atque fletu : & quæramus , si possumus , levationem aliquam mœroris ex illius commemoratione virtutis , quæ in toto ejus vitæ cursu inlustrior , in morte præsertim conspecta est . Quamquam ejusmodi consolatio acerba profecto est : nam quo magis virtutis præstantiam commemoramus , eo dolor conceptus ex hominis morte vehementius ac sævius recrudescit . Verum si nulla consolatio dolorem animi & curam delere potest , saltim hac medicina lenietur , si non , quid nobis , sed JOANNI regi , quem unice amavimus , quid evererit , reputemus . Nam & rerum in vita gestarum merito , & summa illa religione , quam in hora mortis ostendit , in ea spe confirmamur , solutis corporis viribus illius animum ad Dei contuitum pervolasse . Non est quod mortem doleamus , quæ tantam illi peperit felicitatem : quinimo

(XXIII)

mo gratulemur potius ei , quod fortem perennem & felicem , relicta mortalitate , consecutus est . Non ille jam ærumnas ullas habet , sed veram tranquillitatem . Non caduca & pusilla felicitate gaudet , sed æterna & absolutissima . Non mortalium conspectu fruitur , sed cælitum , & ipsius Dei . Nobis a Deo datus , omnibusque , quæ in Christiano rege esse debent , virtutibus instructus , Deo tandem ipsi restitutus est , qui illum nobis eripuit , quod nostris multis erratis , criminibusque commisimus , ut hoc Rege non digni judicaremur .

Quamquam id solatii restat , quod filium , ut opum , & potentiaë , sic ceterarum virtutum heredem & successorem reliquit : in quo parentem redivivum , & tot Regum , unde sanguinem ducit , egregias virtutes perpetuo futuras , ex iis , quæ gessit adolescens , optimo jure suspicamur . Te te ipsum appello , JOANNES V. qui divino adspectu , uti confidimus , jam frueris , & ea , quæ a nobis dicuntur , quasi præsens esses , intelligis ; si te a nobis amari agnoscis , si nobis triste tui desiderium reliquisti , hanc a D. O. M. petas veniam , ut filio JOSEPHO eam mentem injiciat , atque animi robur , quo juste ac fortiter Lusitanum imperium administret : religionem Catholicam , quam vivo patre florentem ac regnantem adspexit , in suis terris incolumem tueatur , in alias disseminet , atque propaget . Quod ut facias , demisse te etiam atque etiam rogamus .

